

do, quo in loco, & quo tempore socius, quem nominavit, ei præstò fuerit, & opem tulerit, *Zang. d. c. 2. num. 63. 64. 65.* Confer *Mascard. de prob. concl. 1386. Cothm. d. resp. 29. n. 334.*

3. Tertium est, ut Judex inquiret, an inter reum nominantem, & socium nominatum sint inimicitia, contentiones, jurgia, & lites, *Matth. Steph. hic, n. 6. Zang. d. c. 2. n. 66. 67.* licet etiam reconciliatio intervenerit, *Zieritz. hic, verb. aut antea exercuerit.*

4. Quartum est, ut nominatus aliàs Judici suspectus sit *Zanger. d. cap. 2. nu. 68. 69.* ut qui semel malus, semel homicida, semper præsumitur malus in eodem maleficio, *Steph. hic, n. 7.*

5. Quintum est, ut reus perseveret in eo, quod alios socios criminis nominaverit, *Zang. d. c. 2. num. 70. 71. 72. 73. cum seqq. Steph. hic, num. 8.* Deniq; cavetur, ne Sacerdotes damnatum moneant de eo, quod confessus est rursus negando. Concordat *art. 103.* vide *Steph. hic. nu. 9.* Si verò tortus ea, quæ de criminis sociis aptè, congruentibus circumstantiis, rectè prius indicavit ex animi desperatione, ad extremum propè rogum coram populo publicè revocet, & dicat se falsò persuasum, & velle ante agonem vitæ ante dicta revocare, & socios innocentes pronunciare, quid tum prudenti Judici faciendum? sancit hæc *constitutio criminalis, art. 31.* in quem ex aliis non scribit contemnenda *Steph. hic, nu. 10. per tot.* Ubi varias Dd. sententias recenset de quæstione sequenti: An scilicet revocatio in extremis elidat primam confessionem factã in tortura, & judicio, ita ut prius amplius judicium non faciat? Tandem verò distinguit cum *Godelmanno*: Aut delata persona fuit bonæ famæ ac vitæ, nec adsunt sufficientia indicia contra nominatam personam, tunc talis revocatio facta in extremis primam confessionem factã in tortura, & judicio elidit. Secus si firmæ & indubitatae præsumptiones contra delatam personam adsunt, tunc eo in casu hæc revocatio & expurgatio facta in extremis nullius momenti est.

## ARTICULUS XXXII.

### *De confessione ipsius rei extra judicium factã.*

1. Indicium ad torturam faciunt minè duobus concurrentibus. Unum est, ut factæ sint ab eo, qui eas consuevit exequi. Alterum est, si maleficio, de quo minatus est, aut aliud, ex quo damnum & incommodum accepit is, cui quis minatus est, subsequutum fuerit. Concordat *infra art. 44.* Modicum autem tempus jure determinatũ non est. Ideoq; arbitrio Judicis committendum. Vide *art. 12. concl. 8. Iohan. Zanger. d. c. 2. num. 44. 45. 46.* ubi pluribus hunc *art. 32.* explicat, & post eum *Steph. hic,* nec prætereundus *meus Zieritzius hic.* Et hæc de indiciis remotis & propinquis omnibus, vel plerisq; criminibus communibus dicta sufficiant: Sequitur, ut de indiciis propriis cujusq; delicti agamus. Quã in re eum servabimus ordinem, qui in hac criminali constitutione nobis præscriptus.

ARTI-